



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

Conradvs Francus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

mox: Dux (Henricus) quendam militem ad ciuitatem, quae VVerlu dicitur ad neptes suas consorores, Sophiam, & Ethelheidam, & ad omnes qui tunc ibi conuenerunt, Regni Primate misit. Quo omnibus in vnum collectis Legationem suam aperuit, auxiliantibusque Domino suimet ad regnum bona plurima promisit. Cui mox à maxima multitudine vox vna respondit, Henricum Christi adiutorio, & iure hereditario regnaturum, se paratos ad omnia quae sibi vnquam scirent esse voluntaria. Hocq; dextris manibus eleuatis affirmatur. Ekkihardus cum suis, quia praesens non erat, simulat à tunc patientiâ hoc pertulit, &c. Et infra: Deindeq; ad Moguntia celeriter properando Rhenum securus enauigat. Hic VIII. Idus iunij ibidem communi deuotione in Regem electus à Villigiso eiusdem Sedis Archiepiscopo, Suffraganeorumq; suimet auxilio, accepta regali vnctione cunctis praesentibus Deum collaudantibus, coronatur. Attamen idem Ditmarus refert ibidem refragatos electioni Hærici* Ekkihardum, & Hermannum Lotharingie Ducem? Verum Sigebertus in Chron. ad ann. 1002. tollit dubium, dicens: Henricus ergo Dux conciliatis sibi animis quorundam Principum Regni vngitur in Regem à Villigiso Archiepiscopo.

*Eccardū
Marchionem Mis-
niae, &
Thuringiae.

CONRADVS

Francus.

IDEM grauisissimus author, Otto Frislin. eodem libro, c. seq. 28. scribit Conradum I. Impera-

F 4

pera-

peratorem, qui S. Henrico successit, ab Omnibus electum, An. 1025. Certè secretarius Conradi, VVippo, Electionem illius talem his recenset verbis : *Consedere Principes, populus frequenter astabat. Archiepiscopus Moguntinus, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus à populo quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudavit, & elegit maioris ætatis Cunonem suum in Dominum, & Regem, atque Rectorem, & Defensorem Patriæ. Hanc sententiam ceteri Archiepiscopi, & reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur. Iunior Cuno paululum cum Lotharingis placitans, statim reuersus maximo favore illum* ad Regem, & dominum elegit, quem manu (Rex electus) apprehendens fecit illum considerere sibi. Tunc singuli de singulis* Regnis eadem verba electionis sæpissimè repetebat. Fit clamor populi, omnes vnanimiter in Regis electione Principibus consentiebant, in illo persistebant, ipsum cunctis dominantibus nihil hesitando preposuerunt. Habuit quidem & ipse nonnullos, sui electioni refragantes, ob turbas in Imperio à se excitate. Sed Conradus à Lichtenavv, Abbas Vrspergensis ad an. 1025. tollit dubium, quò minus fuerit electus ab Omnibus, quod dixit Frising. Conradus, inquit, ex Regni Primoribus vnus, sed regno antea per rebellionem aduersus principibus pro eius electione dissidentibus, Aribone autem Moguntino Archiepiscopo, & Eberhardo Babenbergensi Prasule sibi fauentibus LXV. loco ab Augusto regnum suscepit.*

* in.

*Principibus.

HEN-